

HONORI. EXTIMO.

AC.
MEMORIAE.
VIRI.

NOBILISS. AMPLISS. ATQVE. CONSULTISS.

DNI. SIGISMUNDI.
HORNII.

EX. CELEBRI. HORNIIORUM. STIRPE.

VIII. EID. APR. A. R. M. M. DC. VIII.

GENERATI.

ABSOLUTO. STUDIORUM. IN. CELEBERRIMIS. ACADEMIIS CURSU.

IN. PATRIA-FREIBERGA.

MULTIS. FUNCTIONIBUS.

PRÆTER. COMITIALES.

IMPRIMIS.

SENATORIS.

ÆDILIS.

SCHOLÆ. INSPECT. ET. SYND.

PRÆTORIS.

CAMERARII.

CONSULIS.

CLARI.

IMIS. ET. SUMMIS.

INQVILINIS. ET. EXTERIS.

CARI.

PRUDENTIA. JUSTITIA. ET. LIBRALITATE. IN. PAUPER-

TINAM. JUVENTUTEM.

RARI.

VI. EID. MAII. A. cIo Ioc LXVI.

PLACIDO. BEATO. QVE. EXESSU. DENATI.

ET. IPSIS. IDIBUS. EJUSD. MENSIS. ANNIQVE.

IN. ÆDE. B. VIRGINIS. APUD. BEATOS. MANES.

PARENTIS. NICOLAI. HORNII.

CONTUMULATI.


CULTUS. PIETATISQVE. CAUSA.

FERALIA. QVÆ. SEQVUNTUR.

CARMINA.

POS.

SUPERSTITES.



FRIB. STANNO BEUTH.





Ad

Beatissimum Dominum Compatrem:



N Portis Mortis dum jam luctamur
UTERQUE.

Tantum-non uno, COMPATER, ictu
oculi;

Gaudia Tu Domini SURSUM intras, meq;
DEORSUM

Linqvis-adhuc inter tot variasq; cruces:
Qvas ubi Jova dabit tandem ut quoq; rite triumphem,
Te lætus SURSUM, COMPATER, ipse seqvar.

Sebastianus Gottfried Starck / SS. Theol.
Doctor, Pastor & Superintendens.

H Orni! præcipiti nos linqvis funere Consul!
Annos qui dignus vivere nestorios!
Plurimus hinc urbi nunc luctus; postq; tuorum
Factorum seriem fama loqvetur anus.

Condolentia testanda f.

Samuel Kilman / Sen. p. t. Reip.
Freib. Consul.

P Atræ chære, cati medicamina certa Galeni
Diræ si possent vim cohibere necis;
Cuncta coëgissim meritò TIBI pharmaca, Vitæ
Servandæ nossim quæ satis esse tuæ.
Verùm ævi positus si quando terminus instat,
Nil opis in medicæ cernitur artis ope.
Hinc factum est *Tecum, voluit quod dia Voluntas!*
Grator ego requiem! Nomina Fama vebet!

Johannes Caspar Horn, Phil. & Med.
D. Ordinar. Freiberg.

Dum

DUm cedis subitò vitâ *Vir amabilis Orbi,*
Lumen Freibergæ claretuis meritis,
 Stat perturbatus viduatus Apollinis Ordo

Luce suâ, plorat Curia, rostra, forum.

Sic fuit in fatis! Nihil est non labile Lunâ
 Sub variâ; subitò quæ valuere ruunt.

Sis felix, sis semper ovans & in axe beatus!

Te post fata manent Gloria, fama Decus.

Christianus à Sütphen, D.

Virtute nisus, non vetusto stemmate,
 Pictisq; avorum voltibus,
 Sed fortiter gerens secures Consulis,
 Et laude multâ saucius,
 Excedit orbe (proh dolor) nunc HORNIIUS,
 Consulta Patrum deserens.
 Hinc fata lugent Schola, Templum, Curia,
 Atlante quòd firmissimo
 Jam destitutam rite cernunt Patriam,
 Raroq; privatam bono.
 Consulta namq; Fabii plus expetunt,
 Quàm lucida arma Cæsaris.
 Et nos dolemus, nos relictis plangimus,
 Tàm provido orbatu Viro.
 Cippum vel ipsa tristis hunc Adraestia
 Livorq; degener legat.
 Sed Hic quietem lætus in caelestibus
 Nunc invenit palatiis.

*Beatissimis Manibus
 Clarissimi Dni Patru
 lugens Mœrensq;
 f.*

Johannes Casparus Horn. D.

AD BEATUM CONSULEM DN.
 SIGISMUNDUM HORN,
 ex Textu Funebri
 ALLOQUIUM CHRISTI.

Sigismunde solum vicisti, hinc, Cornu inopum, intra,
 Euge, Deus cælum serve Fidelis, ait.

Observantia

Ergo

*lubens lugensq;
 apponebat*

Fridericus Starck
 Archi-Diaconus.

Civis

Cives statim concurrite! ò concurrite!
 Sunt lapsa vestra civitatis mania,
 Sunt lapsa vestra civitatis mania,
 Cives statim concurrite ò concurrite!
 Tali Metellus insonat vehementiâ,
 Africanus ille Scipio dum lurido
 Mortis tyrannæ concidebat spiculo.
 Quid innuam hoc, cives Boni perpendite,
 Dum principem nobis & æstimabilem
 Libitina læva funeravit CONSULEM.

M. GABRIEL SCHLEIFFENTAGIUS,
 ad S. Petri Ecclesiastes Pr. & Ministerij Senior.

Ingens qui vixit nostra decus, HORNIUS, urbis,
 Emoritur! moritur non tamen ampla Viri
 Gloria! me felix, datur hîc cûi vivere vitam,
 In nece vita ut sit dimitiata Super!

Postremis beatè defuncti
 Domini Consulis honoribus
 Sacrum
 Epicediolum
 Ottonis Benewigens/
 Freib. ad D. Nicol. Ecclesiast.
 primar.

HORNIUS ob merita in Patriam clarissimus audit
 Consul; nunc moriens non-moritura manent
 Nomina. Clarefcet famâ super æthera Consul.
 Heus, luge clarum, Patria clara, Virum!

supremis Honoribus
 Desideratissimi Patroni
 Lugens
 P.

M. NICOLAUS GREFIIUS, FREIBERG.
 Templi Cathedr. Ecclesiastes.

HORNIUS hâc nostrâ fuit heu! qui CONSUL in Urbe
 In Patriæ meritis commoda multa gravis,
 Occubuit! lacrymis hinc falsis Curia tota
 diffluit, Urbs plorat, Tempa Scholæq, rigant
 Ora! DEI nutû tamen hæc mors contigit Ipsi,
 Non nocet ergò piis manibus, ossa cubant
 In reqvie, ætherias super oras sancta volavit
 Mens, fame augustum fertur ad astra decus.

Ita supremò prosequitur Honore pertriste
 Funus Dn. Adfinis & Compatris Sui
 desideratissimi,

M. Barrholomæus Glaser /
 Freibergæ ad S. Petri Ecclesiastes.

18

HOrniades Consul-justi defensor & æqui
Acer, qvi Patriæ firma columna fuit,
Jam cecidit; Lugent hunc Musæ, Curia, Tempia,
Namq; virum Patriæ Gloria prima fuit.

Memoria et. add.

M. Ambrosius Walburger/
ad D. Jacobi Symmysta.

HORNIADÉS cadit heu! cadit heu Freibergicus Atlas?
Siste Deus casum! relliqua fulcra tene!
Molliter ossa viri recubent sub pulvere terræ,
Mens paradisiacis delicietur agris.

M. Immanuel Serber/
ed D. Joh: & Barthol. Past.

*

WEs ich den schnellen Tod des weisen Hornes hörte/
Hey/ sprach ich/ Freyberg hats an keinem guten Orte;
Dann wann sich Sturm erregt / und bricht der Mast entzwey/
So schwebet in Gefahr das ganze Schiffs; Gebäu.

*

DWelt/und Meer Gott gibt/das Sturm und stolze Wellen
Nach Norde Westen hin an eine Klippen gellenn
Und laß' uns Sonnenschein und moie Wetter hier.
Nun/wenn ein Unglück abnt/der ruffe so mit mir!

Georg Wagner/

OTer-sancte Deus, quid ego committere tantum
Infelix potui, patior quod mœsta vicissim
Funera tot de me meritorum ritè Virorum?
Ah! cur, ô Deus alme, meos tot casibus actos
Insequeris, nostris planè disjungis & oris?
Non satis, immitem mortem rapuisse Ministrum
Salvifici verbi, caderet nisi Consul & urbis
Hornius, Astræ cultor fidissimus ille?
Ah! Ah! da finem tandem, Rex magne, dolorum
Et fac clementer reliquos elabier istos,
Qvi pro me semet noctesque, diesque fatigant,
O solare meum fatum, tristesque ruinas
Illatas nunc, ereptis similesque repende,
Qvi mihi iussa tui Verbi sacrata recludant,
Et leges tueantur, nec non candida Jura,
His Te ego, mordaces jactans in pectore curas
Tristior, & lacrymis oculos suffusa rigatos,
Alloqvor, immensi cæli, terræq; Monarcha,
In melius formaturam & me spondeo vitam,

B

At

Ast placidè functi præclari Consul's ossa
Molliter ut recubent, da quæso, Numen amandum
Exhilara; animam jucundo Nectare cæli,
Dum rursus jungas corpus super axe locatum.

*Sic Patriam mæstissimam, in funere Consul's meritissimæ
qvirilantem, introducere Cineribusq; Patroni
Opt-Max: simul iusta facere Voluit.*

M. Michaël Schirmerus, Gymnast
Patrii Rector.

Hornius ad plures consul quoq; Magnus abiit,
Freibergæ - patrii perpes agalma Soli.
Et bonitatis honos, & honora corona Themistos,
Virtutisq; iubar, profapiæq; Decus.
Heu dolor! heu lacrymæ! quis non singultibus addat
Singultus tanto jam moriente Viro?
Archecacus nisi sis, lacryma, lacrymisq; perunda
Mœnia, tecta, vias, & fora, templa, scholas.
Curia præprimis tua tempora cinge cupressu,
Grex & inops nigrâ sindone plange Virum;
Musica plange Virum, summum mors surpuit atra
Patronum vobis; plangite cuncta Virum,
Plangite dicendo: si vivat hic Hornius, Urbi
Consultum, & Musis, Pauperibusq; foret.
Plangite, verò modum ne vos transcendite planctu,
Quis valet ex capulo sic revocare Virum?
Horniacas dotes, quæ dextrè præfuit Urbi,
Reddet & hic aliis provida cura Dei.
Horniacas Mensas, quas largè struxit egenis
Musis, hisce Deus Divitiorq; struet.
Horniacasq; manus, multis quas præbuit ipse
Auxiliatrices, Jova aliisq; dabit.
Huicq; Dei cura confidite Curia, Musæ,
Atq; greges inopes, hic benè cuncta geret.
Consulis interea sub saxo hoc ossa quiescant,
Spiritus & capiat gaudia Summa poli.
Mortuus est Patriæ, Musis, & Consul, egenis,
At sibi nunc vivit, vivit itemq; Deo.
O felix Horni mutatio tantâ! quis æthrâ
Non magè, quàm misero vivere in orbe velit?

M. Tobias Mollerus Freibergæ
Patriæ Tritodidascalus.

289.

EN lacrymosa dies, quâ publica commoda curans,
Patronus noster funere tristis obit.
En Sigismundus Consul, dum profuit urbi,
Serviit atq; aliis dexteritate suâ;
Ceu lampas splendens aliis lucere studendo
Conficit heu! sese: Sic Pater ipse perit.
Sponsorem sacrum rapit irrevocabile fatum,
Teq; mihi Patrem mors onerosa necat.
Ast Te felicem! lacrymis & fletibus opto,
Eumomies Cultor, gaudia multa Tibi:
Tempora linque soli, pietatis Cultor & ultor,
Liber ab ærumnis, jam pete tecta poli.
Illic Te foveat Cœli Chorus ipse beatus,
Lætitiæq; Tibi janua aperta fiet!

*supra deus ergo
fundebat*

Johan. Georg. Spieß/ Pastor
in Oberboberisch.

Siccine *Freibergæ nostræ* fera Parca subindè
Precipuos tollit more morâq; sine?
Siccine & HORNIIUS heu! virtutis laude decorus
Egrediâ, mortis falce peremptus obit,
Vivere qui dignus longævi Nestoris annos,
Gloria prima *Urbis*, Fax *Procerumq;* Decus?
O dolor, ô lachrymæ! vis, ô vis ferrea Leti!
Curia flet, gemit *Urbs*, flet veneranda *Themis*,
Flet *Virtus*, flet prisca *Fides*, flet *Triga* sororum,
Triplex, flet *Probitas*, flet *studiosa* cohors,
Plorat nunc *Helicon*, Citharam suspendit *Apollo*,
Castalii, plorant *culmina* mœsta *jugi*;
Nam meruit lacrymas Horni tot nobile funus.
Sed jubet & *Pietas* quemq; tenere modum,
Hinc, quia Cœlestes turmas *novus* HORNIIUS inter
Advena, nunc *Christi* regna beata colit,
Ter sanctumq; DEUM, Majestatemq; verendam
Adspicit, æternis *perfruiturq;* bonis:
Nec prorsus mundo periit, dum *Nomina clara*
Et Laudem æternum *Fama* loquetur anus,

Georg. Trainer.

Quod

Quod si unquam Dilecta habuit Freiberga necesse
 Edere lamentum: Capite est delapsa Corona *Thr. V, 16.*
 Heu mihi! nunc certè, quo nigris Hornius iste
 Mandatur terris: Etenim si Curia cautum
 Arderet Ciceronem, aderat præstò Hornius iste,
 Si Directorem peteret Camera ingeniosum,
 Si, qui Præturam gereret, sublime Tribunal
 Posceret, & si Ephorum Nutritoremq; Lyceum
 Munificum, Intentum, largum, facilemq; Patronum
 Si Musæ vellent privæ, præstò Hornius iste,
 Hornius omnia erat. Quid narras? occubuitne
 Vir tantus letho? Væ nobis! væq; patratis
 Delictis nostris! Etenim quid colligis inde,
 Quàm quod Divinò Donò hòc indignior orbis?
 O Cives cives! unà nunc voce venite,
 Ac unò corde ad Supremum: SUMME MONARCHA
 LARGITER INGENTEM FACTURAM HANC QUÆSO RESACRI,
 FIRMITER ATQVE DUAS RELIQUAS STABILITO CORONAS!

*Fatum hoc acerbissimum votò hòc curatum
 It ferventissimò
 Beatissimi Dn. Consulis
 Cognatus.*

M. Osvaldus Kronberg/SS.
 Theol. Consect.

Dum SIGISMUNDUS CONSUL gravitate verendus
 Annis & meritis inclutus, astra petit.
 Hinc quoq; Consilium sibi ademtum Curia deflet
 Templâ Patrocinium hinc & Schola Præsidium.
 O Serva reliquos Proceres nostræq; Patronos
 Quæso Reipublicæ, Christe tuere ratem.

*Mecanati ac Patrono
 etiam post mortem ve-
 nerando paucula
 hæcce debuit.*

M. David Starck/
 S.S. Theolog. Stud.

Curia Freibergæ viduatur Atlante. Vacillat
 Templorum, Hunc serva; Da Deus Illi alium!

*Ita animi sensa in funere
 Magni Patroni expectorabat.*

Augustus Schöntebe/
 Sic

Sic cine nunc moreris, rerum pars magna mearum,
SO Horni Consul, praelustris agalma Themistos,

Quemq; mihi dederat Patrualem diva voluntas;

Imò Patronum, potius nisi dixero Patrem?

Nam cum sæva olim mihi mors filice parentem

In teneris annis rapuisset, cum quoq; post hæc

Evivis translatus Avus, tu tempore duro

Consulere afflictis non dedignatus es ipse

Rebus. At heu! cadis, ah! cadis ó venerande Patrone;

Et me relicto fugis ad cœlestia Tempe.

Sic visum Súpero tibi nunc conferre coronam

Post ex antlatis tam multos, tamq; frequentes

Pro publicis animo plane constante labores.

Ut clemens Numen de memet cogitet ultra

Affiduis illud votis, & voce fatigo.

Tu verò, Consul lætis ad mixte catervis

Cœlituum, æternum salve, æternumq; valeto.

*Mente afflictissima, & oculis
stillantibus contra votum*

sic

*Longè meritissimum de Se
Patrualem Patronum*

ultimò in his terris

alloquitur

Johann Christoph Horn,

W Eil Pan Apollens Laute stimmt/
Und selbst di Musen seine Leier schlagen/
So werden nun fast mehr di Lob-Gedichte,
Für unermögend angeschahn/
Der grossen löbliches Gerüchte
Der Nach-Weld for-zutragen/
Gleich als es etwan ehermahls geschahn.
Ein Grosser Man
Entgeistert izzund Seine müden Glider/
Und legt Sich zu der langen Ruhe nider/
Ich thue was ich kan/
Und zeigne Seinen Grabe-stein
Nur dise Kurz-und schlechte Schrift zum Ruhm gedank,
Hier ligt ein Vater unser Stad/
Der mehr für Sie als Sich gesorget hat.

(mahl ein:

*Zu vil-verdinter Ehr-
seines hohen Sönners
eilsfärtigte es*

*S. Kilman/
Wer*

C

Wer hätte das gedacht? Wer hätte es so sollen meinen/
 Daß wir/ O Vater-Land/ so balde solten weinen
 Um unsern Themis-Schmuck? Nun sein erhöhter Geist
 Von uns so bald / so bald / ist Himmel-auf gereist!
 Ach! tretet doch herzu! betracht der Menschen-Freude;
 Den Circel-runden-Lauff / der Erden schöne-Beute!
 Beslore Themis dich / geh' eilents mit zu Grab/
 Es stirbt / ach Leid! dir iest ein teures Mit-Glied ab!
 Ein grosser Weißheits-Freund! Ein Mann in dessen Sinnen
 Das grosse Weißheits-Buch der Geseze recht lag innen!
 Der allen treulich both mit rechten Rath die Hand/
 Der fället kläglich heut aus seinen hohen Stand!
 Ach trefflicher Justin / hastu denn kein Geseze/
 Das iezo reissen kann durchs schwarze Todes-Neze.
 Ach Leid! Er ist hinweg / der noch für kurzer Zeit
 Sein Ambt versah mit höchster Emsigkeit!
 Wer hätte das gedacht? Wer hätte es sollen meinen/
 Daß Wir/ O Vater-Land / so balde solten weinen
 Um unsern Themis-Schmuck? Nun sein erhöhter Geist
 Von uns so bald / so bald ist Himmel-auf gereist!

Also thränete mit seinen
 Freiberginnen

Caspar Rhode/

¶ Ermagnus dolor est, quando violentia sæva
 Mortis fulera fori firma rapitq; Scholæ.
 Tristitia hinc surgit, mœror confluit acerbus
 Ut liquidæ in gremium decidat imber aquæ.
 O dolor immensus! dans vulnera sæva relictis,
 Vulnera dans cordi nulla minora meo.
 Namque etiam me permagnus tenet hicce,
 Ut possim lacrymis ora lavare mea.
 Magna fuit quondam Horni reverentia nostri,
 Hinc merita atque hujus dememinisse, nefas.

Ergò

Ergò Tui, PATER, ac Tutor meritissime, nunquam,
Dum memor ipse mei, dememinisse queo.

*Patronum, imò Patrem suum alterum falsè
deplorat Iena eius Cinerum
perpetuus cultor.*

Elias Krieg / Theol: &
Philos: Studios.

Siqua fuit nobis plorandi causa, ministra
Flendi materiam hæc tristis, & agra dies.
Cur sic? En! cecidit, dolor ah! per spicula mortis!
Nostra basis, PATER & Qui meus alter erat.
Heu miserum casum, dira, & tristissima fata!
Hòc unquam gravior vix dolor esse potest.
Sed cùr tristamur? Metam properamus ad illam,
Peccati merces omnibus hæc eadem.
Namq; dies hominum citò prætereunt, velut
umbra,
Una necis meta est, una terenda via.
Quod super est: Facilis sit membris terra sepultis,
Ast anima in cælis gaudia, leta ferat.

Ultimis honoribus de se incomparabiliter
meriti DN. Consulis hæc qualia qualia
sacrare debuit hactenus ejus
Cliens.

Johannes Krieg/

Solt Ich nicht Euren Tod/Herr Pate/sehr betauern/
Und mit der Musen Schaar darüber herzlich trauern?
Er war mein treuer Schutz/Er halff er riethe mir/
Wie ich auffwachsen solt zu Gotts und Landes zier/
Wohl Ihm/Er ist gelangt zu besser Ruh und Ehren.
Doch ruff ich Ihme nach: O Pate! O Patron/
Erlangt für euer guts in Himmel größern Lohn.

Seinem Hochgeehrtesten Herrn Paten zu
schuldigsten Nachruhm und Danck-
barkeit schrieb es


Johann Sigmundt Wolckenstein/
F. M.

TE vivente meis erat, HORNI, vita, Salusq;
Muis, hei pressæ Te moriente jacent.

*Ita Munificentissimi Patroni
& Promotoris mortem exanimis
ferè lugebat*

Georgius Bernhardt/

— F I N I S. —



HONORI. EXTIMO.

AC.
MEMORIAE.

VIRI.

NOBILISS. AMPLISS. ATQVE. CONSULTISS.

DNI. SIGICAMUNDI.

EX. CELEBRI. P

VIII. EID. APR.

GE

ABSOLUTO. STUDIORUM. IN

IN. PAT

MULTIS.

PRÆTE

SE

SCHOLÆ. I

P

CA

C

IMIS

INQVIL

PRUDENTIA. JUSTITIA

TINAM

VI. EID. MAI

PLACIDO. BEATO

ET. IPSIS. IDIBUS.

IN. ÆDE. B. VIRGIN

PARENTIS

CO

CULTUS. PIE

FERALIA. C

SUP

FRIB. STANNO BEUTH.

